



Programmata

**DONVM
PRAESTANTISSI-
MVM**

QYOD

PATER CAELESTIS

NOBIS DONAVIT

QVVM

FILIVM EVMQVE VNICVM

MISIT

VT CORPORATVS ET CARNE TECTVS

SVIS LABORIBVS QVIETEM
SVA SERVITVTE LIBERTATEM
SVA MORTE VITAM
NOBIS COMPARARET

NATALI DIE SERVATORIS OPTIMI

A. CIO IOCC XXXV.

AVSPICATO REDEVNTE

PIE MEDITARI VOLVERVNT

SCHOLAE CATHEDRALIS ALVMNI

PRIMO ORDINI ADSRIPTI.

NVMBVRGI,

TYPIS, BALTHAS. BOSSOEGELII, PRIVIL. TYPOGR.

AK





A. 2.

Erus dum seruis, dum fidus amicus amico,
Strenas dum natis donat vterque pa-
rens;

Nos decet attentos summum perpen-
dere donum,

Quod nobis caeli mittit ab arce Deus.

Dono dent aliis homines, quod opinio carum

Reddit, quod pretium luxus habere facit.

Dent aliis ingens argenti pondus et auri,

Fausta quibus magnas fors cumulauit opes.

Dent digitis gemmas, dent longa monilia collo,

Quae de longinquo littore mittit Arabs.

Dent cocco madidas, tinctas dent murice vestes,

Pallia dent, flauia qualia Seres habent. (rum?)

Quaeso, quid argentum? fuluum, dic, quaeso, quid au-

Nil nisi contemti portio parua soli.

Fert humus et ponti pretiosos vnda lapillos:

Nobile quid tellus? quid mare habere potest?

Vermes sunt viles, qui serica tegmina texunt:

Vermes inficiunt illa cruore suo.

Haec ergo, quamuis homines mirentur et optent,

Diuini nequeunt muneris esse loco.

Angelus offertur forsan pro munere nobis,

Qui nos a cunctis liberet vsque malis?

Angelus haud fatis est, quamuis insignis, vt il

In nos diuinus significetur amor.

Dat pater aeternus nobis pro munere natum,

Nobilius quo nil terra polusque ferunt.

In se Tharaidae Deus experturus amorem,

Illi, grandifona voce locutus, ait:

Vnicus ille tuus natus, tibi carior omni

Thesauro, cedat victima grata mihi.

Paruit et strinxit pater in sua viscera ferrum,

Et voluit natum sacrificare Deo.

Iamque necaturus sobolem pater ipse fuisset;

Angelus a facto ni reuocasset eum.

Nunc habeo certum, Deus inquit, pignus amoris
Quo me prae nato pergis amare tuo.
In nos ergo Deus summum demonstrat amorem;
Dum nobis natum sponte dat ipse suum.
Ante Deus tribuit iam plurima munera nobis;
Dum nos egregium condidit auctor opus.
Ex terra corpus formauit, et indidit illi
Mentem: quo gaudet bestia nulla bono.
Adque suam effigiem partem formauit vtramque:
Nam voluit similes nos Deus esse sibi.
In nostra fulsit diuina scientia mente:
Fraterno veluti lumine luna nitet.
Spectauit tantum iustumque bonumque voluntas:
Hic scopus, haec eius regula sola fuit.
Atque ita donatos Paradisi in sede locauit,
Quae fuit omnigenis condecorata bonis.
Tempora nostra Deus pulchro diademate cinxit,
Et voluit nostram sceptrum tenere manum.
Scilicet imperio nostro subiecerat omne,
Quod mare, quod tellus, quod leuis aër habe
Ad nostrum saeui nutum tremuere leones:
Ad nostros tigres procubuere pedes.
Nulla lues potuit nostrum corrumpere corpus:
Mors nec ei saeuas intulit atra manus.
Vitales iussi decerpimus arbore fetus,
Letiferum a nobis qui pepulere malum.
Sed, quae nemo potest dignis exponere verbis,
Perdidimus summi munera cuncta Dei.
Proh dolor! hisce bonis nos denudauimus ipsi,
Lasciuo vetitum transfiliendo pede.
Attamen hoc donum cumulate damna rependit,
Non alio nobis restituenda modo.
Hoc agite attento voluamus pectore donum:
Lumina in hoc mentis figere nostra iuuet.
Quis donat? Deus est, turpi quem laesimus ausu,
Qui poterat iudex plectere iure reos.

Cui donat? nobis, corruptis daemonis astu,
 Qui sumus accepti prodiga turba boni.
 Quid donat? sobolem, patris est quae sola voluptas:
 O bonitas! quam non mens penetrare potest.
 Cur donat? sibi nos vt clemens vindicet auctor,
 Nec patiatur opus morte perire suum.
 Filius hinc patris, caelo delapsus ab alto,
 Induit humanum corpus et ossa sibi;
 Scilicet amisam nobis reparare salutem
 Morte sua, et nostras iussus obire vices.
 Hinc simul ac castae matris descendit in aluum;
 Quaeque subit nostro tristia fata loco.
 Ipsa parens, quamuis regum sit stirpe creata,
 Fortunae tolerat pauperioris onus.
 Filius illius, qui grati luminis auctor
 Exstitit, in tenebris nascitur, inque gelu.
 Ex nihilo quondam totum qui condidit orbem,
 In toto nascens vix habet orbe locum.
 Ad miserum rector regum compellitur antrum,
 Nec, quo fessâ toro membra reclinet, habet.
 Excipit infantem foeno praesepe refertum:
 Et tenerum laedunt stramen et alga latus.
 Adflatuque bouis, pandique fouetur aselli:
 Conditor hac rerum frigora pellit ope.
 Auditis? vagit, lacrymasque profundit ocellis:
 Sic sua, praeque suis sic mala nostra gemit.
 Sanguineaeque breui, perstricto corpore, guttae,
 Nempe redemptoris pensio prima, fluent.
 Tempus erit, cum perpeffus genus omne malorum,
 Dissoluet leto debita nostra suo.
 Hoc igitur donum, quod nunc Deus omnibus offert,
 Prensemus fidei non dubitante manu.
 Si Deus immenso natum donauit amore;
 Quid poterit nobis ille negare boni?
 Immo dabit nobis posthac, appendicis instar,
 Quae fingi votis munera cunque valent.

* * *

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
1017





Programmata

DONVM
PRAESTANTISSI-
MVM

QVOD

PATER CAELESTIS
NOBIS DONAVIT

FILIVS

UNICVM

VT CORPUS

CARNIS ET

QUIETEM

IMMORTALITATEM

ET VITAM

IN AETERNUM

NATALIS

DIEI TORIS OPTIMI

MDCCXXV.

DECVNTE

VERVNT

SCHOLAE

ALUMNI

DESCRIPTI.

TYPIS

PRIVILEGIUM TYPOGR.

